1511. 17 Januarij

12

Sigism: I. Rex Poloniæ Ioanni Golawinski, Jacobo Roznowski Capneis Castri Marienburge.

Mortuo Illri Friderico Mgro Prussiæ, ne mutationes et motus aliqui isthic suscitentur, volumus et mandamus Vobis, ut Arcem Nram Marienburgensem bene provideatis, vigilias custodiasque diligentiores instituatis, hominibus etiam insularum mandetis, ut arma, equos, familiam idoneam habeant. Nos autem mittimus isthuc ad Prussiam militiam Nram Duce Marschalco Curiæ Nræ. Qui interea dum alios isthuc expediemus, ea, quæ oportuna sunt, cum intelligentia Vra aget. Facturi pro gratia Nra. Datum Piotrkoviæ, 17. Januarij 1511.

Eod Ao et Die:

Sigism: I. Rex Pol: Eppo Culmensi Thesaurario Prussiæ:

Mortuo Mgro Cruciferorum, Jus Regni Nri negligere nolentes, volumus ea agere, quæ ad id necessaria sunt. Vestra autem Paternitas ad id Nobis sua Consilia impertiat et ex Officio Suo admoneat tenutarios Castrorum nostrorum, ut easdem arces custodiant et servent diligenter, armis et commeatu instruant. Idem ad Civitates Nras scribimus. Nonnullas etiam Copias militares in Prussiam isthuc ad loca oportuna mittimus. Nam ubi Ordo declinare à recto voluerit, Nos Jus Nrum armis asserere non prætermittemus. Datum Piotrkoviæ, 17. Januarij, 1511.